48

1846, 29 gennaio

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte Fili Noster Salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum faustissima redirent gaudia diei Natalis Verbi Dei ex Virgine Maria Incarnati, Tuae Nobis redditae sunt Litterae, quibus vota significas piissima quae pro Nobis facis, ut gaudia illa plena atque perfecta futura sint non modo quod ad personam ipsam spectat humilitatis Nostrae, sed etiam ad universam, cui licet indigni praesumus, Christi Ecclesiam. Quam id gratum Nobis acciderit, non satis explicare verbis possumus. Mutuam vero Tibi vicem reddere cupientes, ad thronum gratiae prostrati dulcissimum humani generis Redemptorem, quam maxima possumus supplicum precum contentione, rogamus ut benigne sua in Te beneficia multiplicet, eoque uberrimi semper Tuis in ista excolenda vinea laboribus fructus respondeant. Ac tantorum bonorum auspicem, Nostraeque in Te paternae voluntatis testimonium Apostolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noster, et Gregi Tuo peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Januarii MDCCCXLVI.

Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto

Gaspar Gasparini

Istituto Campana Osimo ®

Istituto Campana Osimo ®

Dilecto Filio Nostro

Joanni Tituli SS. Quatuor Coronatorum

Presbytero S. R. E. Cardinali Soglia

Episcopo Auximano et Cingulano

1846

Soglia